



Frotho eius nominis quartus rex Daniæ, filius fuit Fridleui regis. Hic ab incunabilis ob egregiam formam adeo cunctis charus erasit, ut ne humili quidem incedere aut consistere toleratus, sinu ingiter & osculis foueretur. Ita non uni modo paedagogo addictus, sed quasi communis omnium alumnus extabat. Is post patrem in regno successit, & magnum sibi nomen comparauit, Anno Christi circiter sexagesimum quintum. Nam Suertingum & Hanneuum Saxonie regulos palam rebellare connitos, acie superauit, deuictisq; gentibus seruitutis nomine pendendi pro capite nummi mulctam inflixit. Adeo is liberalis fuit, ut recentia largitatis consuetudine prisca militiae stipendia duplicarit. Neque enim se tyrannorum more communibus uitiorum illecebris obijciebat, sed quicquid honestati proximum appetebat: opes in propatulo habere, omnes humanitatis officijs præuenire, & uirtute inuidiam uincere contendebat. Vnde non modo fama maiorum titulos exæquauit, sed etiam uetusissima regum monumenta transcendit. Habuit Frotho secum Starcatherum fortissimum pugilem, cuius opera usus multas hinc inde uictorias acquisiuit, ac Saxones in officio continuuit. Verum tandem Suertingi Saxonie regis dolo conuiuio excipitur, & cum omnibus hospitibus ipsoq; Suer-tingo igne consumitur. Huic in regno filius In-gellus successit. *Sax. Gram. Hist. Danicæ lib. 6.*